
ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 265.

In MS. *Tyriā*, hoc tantum loco. Porro Carthago Tyriorum colonia fuit, ut Tyrus Sidoniorum. Unde Virgil. lib. 1. *Æneid. Urbs antiqua fuit, Tyrū tenere coloni, Carthago.* Et ab eodem Carthago Tyria et Carthaginenses Tyrii vocantur. Quin et in Isaïa cap. 23. ubi Tyri eversio prædicitur, *Septuaginta verterunt, Ululate naves Carthaginis.* Confer Optatum libro contra Parmenianum tertio, qui Ezechielis prophetiam similiter torquet in Donatistas, et principem Tyri Donatum intelligit.

ANNOTATIO (2) pag. 405.

Gesta hæc Cirtensis concilii in exemplari quod Carthaginensis Collationis tempore diligentius inspectum fuit, consignata erant anno *post consulatum Diocletiani novies et Maximiani octies, tertio Nonas Martias*, id est, anno Christi 305, ut testatur Augustinus infra in Breviculo Collationis, die III, cap. 17. Apud Optatum lib. I, contra Parmenianum idem Cirtensis confessus notatur *habitus post persecutionem, die III Iduum Maiarum.* Ubi *persecutionem*, non Maxentii, uti Albaspinæus

voluit, sed *codicum tradendorum*, ex Augustino in fine capitis præcedentis intelliges. Cessavit hæc persecutio consulatu Diocletiani IX et Maximiani VIII.

ANNOTATIO (3) pag. 406.

Optatus, lib. I. *Non post longum tempus, iidem ipsi, (qui Cirtensi concilio interfuerant) tot et tales ad Carthaginem profecti traditores, conjurati homicidæ, Majorinum post ordinationem Cæciliani ordinaverunt, schisma facientes.* Id anno factum Christi 311, non ante. Nam Cæciliani ordinationem ponit idem Optatus post indulgentiam missam a Maxentio in Africam, qua Christianis libertas est restituta. At Maxentius Africa potiri cœpit devicto Alexandro tyranno; devictus autem est Alexander post ipsius, teste Zosimo, Maximiani Herculi obitum, qui anno 310 contigit.

ANNOTATIO (4) pag. *ibid.*

Sylvanus a Secundo Tigisitano episcopus Cirtæ ordinatus fuit in concilio supra citato. Confer epistolam Aug. III, n. 4.

ANNOTATIO (5) pag. 408.

Legebatur hic, *Constantio Maximo Augusto*: Constantium Chlorum intelligendum putat Baronius, Constantini patrem, anno Christi 306 demortuum; et *Constantini junioris* nomine ipsum filium ejus Constantinum. Verum nusquam in fastis consularibus junguntur simul

Constantius et Constantinus junior: neque Constantio Chloro *Maximi* titulus tributus est, neque filius ipsius Constantinus, qui seniore cognominem ante se nullum habuit, *junior* est appellatus. Et si hoc anno consul cum Constantio fuisset Constantinus, sequenti anno quo consulatum cum Maximiano Herculio gessit, secundum consules in fastis debuisset, quod minime reperitur. Errorem emendamus ex veteri eorumdem Gestorum exemplari, in quo prænotantur, *Constantino Maximo* etc., qui est annus Christi 320. Habes hæc Gesta in Appendice Benedictinorum et in iis loca permulta e quibus intelligas non potuisse illa fieri consulatu Constantii Chlorig, id est, anno Christi 306. Nam ibi Cirtæ urbis cives *Constantinienses* appellantur, ipsaque urbs dicitur *Constantina*, quod ipsi nomen ex Constantino ejusdem urbis nonnisi post Maxentii mortem instauratore inditum est. Præterea de Cæciliani episcopi innocentia judiciis multis jam tum probata ibidem legitur, *Cur ergo intermisso eo cujus innocentis probata est, Sylvano communicas?* Clerici etiam a Zenophilo interrogati, cum respondent se a *majoribus suis* accepisse quod Sylvanus esset traditor, quia scilicet in persecutione codicum tradendorum quæ ad annum Christi 303 pertinet, res sacras tradidisset; traditionis illud crimen longe ante id temporis a Sylvano admissum significant. Adde Constantii Chlorig tempore non potuisse Sylvanum episcopum ob traditionis crimen a Nundinario diacono in judicium publicum Zenophili viri consularis trahi; neque demum Ursacio et Zenophilo persequentibus, (quod hic postea cap. 30 Cresconius objectat) in exilium ejici.

ANNOTATIO (6) pag. 427.

Marculi passio a Donatiano quodam scripta, prodiit in veterum Analectorum tomo 4. Prænotatur in MSS. III, vel VIII, Kal. Decemb. Ibi Marculus presbyter tantum, non episcopus, qui ei titulus a Lovaniensibus annot. in lib. II contra Petil., cap. 20 tributus est, appellatur. Hic jussu Macarii, quem Constans imperator in Africam cum Paulo miserat, vinctus primo in possessione Vægesselæ, in qua Macario cum episcopis aliquot a Donatiana parte ad ipsum directis occurrit, et mox funium ictibus cæsus cum sociis, inde per aliquas Numidiæ civitates sub ærtissima militum custodia usque in castellum Novæ-Petræ perductus, ibi tandem elapso quatrinduo de petræ culmine a milite præcipitatus legitur in illis passionis ejus Actis: quæ tametsi auctorem schismaticum aperte referunt, Catholicis vehementer infensum, ex iis tamen Marculi nomen translatum fuit in martyrologia. Ipsum enim haud dubie respicit, quod in Molani additionibus ad Usuardum ex notho Bedæ martyrologio refertur ad VI Kal. Decemb. *In Nicomedia (pro Numidia) beati Marculi sacerdotis et martyris, qui temporibus Constantis tyranni persecutiones maximas pertulit, ad extremum ab alta rupe præcipitatus est.* Et illud in Romano ad eundem diem: *Nicomediæ (pro In Numidia) sancti Marcelli (leg. Marculi) presbyteri, qui Constantii (verius Constantis) tempore ab Ariani (pro a Macartanis) e rupe præcipitatus martyr occubuit.* In Collatione Carthaginiensi I, cap. 187. Dativus episcopus Donatistarum Novapetrensis dicit, *Adversarium non habeo, quia illic est dominus Marculus, cujus sanguinem Deus eriget in die judicii.* Confer

Optatum lib. III ab istis verbis: *Sic invenit Donatus Bagaiensis, unde contra Macarium furiosam conduceret turbam* etc. De Marculo eodem supra lib. II cont. Petil., cap. 14 et cap. 20 necnon Tract. II, in Joan. n. 15.

ANNOTATIO (7) pag. 470.

Cæcilianus uno Carthaginiensi schismaticorum concilio damnatus, quatuor posterioribus judiciis est absolutus, scilicet episcopalibus judiciis duobus, Romano et Arelatensi, tertio judicio imperatoris Constantini, et quarto proconsulis Æliani, quo Felix ipsius ordinator purgatus fuit.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.

- Contra Litteras Petiliani, lib. II, p. 3.
De Unitate Ecclesie p. 211.
Contra Cresconium grammaticum, partis Donati, libri IV, p. 301.

BIBLIOTHECA GALLICA.

- Eorundem analysis, tom. XXII, p. 275-278.
Ejusdem fragmenta, tom. XXII, p. 278-282.
Eorundem analysis et fragmenta, tom. XXII, p. 282-286.

INDEX

TOMI CENTESIMI TRIGESIMI-NONI.

CONTRA LITTERAS PETILIANI, LIBER II. In quo ad omnia et singula verba Epistolæ Petiliani sic respondet Augustinus, tanquam cum adversario præsentè colloquatur. 3

— LIBER III. Refellit Augustinus secundas Litteras, quas in ipsum Petilianus, viso primo superiorum librorum, scripsit maledictis plenas: et neglecta propria sua, defensione ostendit Petilianum in causa defecisse, neque ad rem de qua agitur, respondere valuisse. 143

DE UNITATE ECCLESIE, LIBER I. Proposita quaestione, Sit-ne Christi Ecclesia apud Catholicos, an apud Donatistas, quod hic non nisi ex sacra Scripturæ locis certis et claris definiendum: proferuntur primum testimonia ex Instrumento Vetere ac Novo quamplurima. quibus ostenditur doceri evidenter ac certo, Ecclesiam Christi veram eam esse, quæ toto terrarum orbe diffunditur. Deinde vero, quæ pauca ex iisdem canonicis Scripturis objectari a schismaticis solent pro parte Donati, ea et ambigua incertaque esse, et per se ad eorum tuendam causam, cum ratione contraria explicari possint, nullum robur habere. Donatarum etiam de traditione, de persecutione aliæque in Catholicos calumniæ data occasione refutantur. 111

CONTRA CRESCONIUM GRAMMATICUM PARTIS DONATI, LIBRI IV.

— LIBER I. Epistolam Cresconii pro Petiliani defensione editam, sibi que inscriptam, refellere incipit Augustinus. Probat nec eloquentiam nec dialecticam qualemlibet metuendam esse assertoribus veritatis, quominus ejus adversarios, cum ipsis disputando, redarguant; neque contentiosum habendum eum esse, qui duris et renitentibus sermonis altercationem ad eos refellendos inferre curaverit. Postea ostendit non esse consequens, ut si conceditur esse baptisma in parte Donati, simul etiam concedatur ibi accipi oportere. Id enim extra Catholicam Ecclesiam frustra et perniciose, sed tamen vere ac omnino idem haberi. 301

- LIBER II. Examinat dicta alia Epistolæ Cresconii. Ipsi sponte concedit, ut a Donato Donatianos potius quam Donatistas appellet. Illos autem a se merito dictos hæreticos contendit: nec tamen cum ad Ecclesiam revertuntur baptizandos esse; quin etiam posse eorum clericos, si Ecclesie utilitati convenire videatur, in suis honoribus recipi. Aliquid porro redeuntibus dari in Ecclesia, quod præter illam omnino non datur, idque esse donum charitatis docet. Illud Petilianus, *Conscientia sancte dantis attenditur, quæ abluat accipientis*, male defendi a Cresconio demonstrat. Excudit allata ab eodem Scripturæ loca, istud potissimum: *Qui baptizatur a mortuo, etc.* Postremo ad Cypriani auctoritatem de rebaptizandis hæreticis respondet.
- LIBER III. Reliquam partem Epistolæ Cresconii singula breviter ex ordine refellens, percurrit.
- LIBER IV. Ad omnes rursus Epistolæ Cresconii partes respondet, objectiones ipsius et calumnias singillatim ex sola Maximianensium causa refellens.
- ANNOTATIONES.
- CONCORDANTIA BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICÆ.

pag. 335

382

460

537

542

EXPLICIT INDEX.

